



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 5. An toties quis peccat mortaliter, quoties die jejunii sumit refectionem
iteratam?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

dispensare in abstinentia à pluribus refectio-
nibus, sed ejus obligationem relinquere. Et
dicitur extare authentica de hoc Innocentii
XII. declaratio.

*Q. 5. An toties quis peccat mortaliter, quoties diè
jejunii sumit refectio, iteratam?*

Resp. Non pauci affirmant. Quia 1. juxta
omnes toties quis peccat, quoties carnes co-
medit; quia præceptum abstinendi à carnibus
est negativum, vetans ne ullo diei tempore
comedantur: at præceptum abstinendi à plu-
ribus refectioibus est etiam negativum;
nam non præcipit unam refectioem, sed
præcisè plures refectioes prohibet. Ergo
sicut peccatur per quasvis comestiones car-
nium, ita & per quotlibet, & singulas refectio-
nes ultra unam: præcepta enim negativa
violantur non solum per 1um & 2um Actum,
sed etiam per quoscumque alios sequentes. 2.
Quando vetatur aliquid sæpius, quàm semel
uno eodemque tempore fieri, non solum pro-
hibetur fieri bis, sed etiam ter, quater, &c.
Sic cum Lex vetat, ne fidelis sæpius quàm se-
mel eodem die communicet, aut sæpius in vita
Baptizetur, non solum 2. sed etiam 3. & 4.
actu violatur præceptum. Deinde mortifi-
catio carnis, quæ est finis legis, adhuc aliqua
obtinèri potest per omissionem aliarum refe-
ctionum: nam si quis mane, & in prandio se
refecerit, adhuc notabilis est mortificatio se
absti-

abstinere Vesperi, ut fuisset abstinere mane, & semper subtrahitur materia concupiscentiæ. 3. Ecclesia solum permittit unam refectionem, idque ad mortificationem carnis. Ergo præter secundam refectionem vetatur quoque alia ulterior, quæ etiam repugnat mortificationi carnis.

Hinc tres refectiones sumere non licet ei, cui duæ sufficiunt, & permissæ sunt ob infirmitatem.

Q. 6. An violat jejunium qui extra refectionem consuetam, & cænam aliquid bibit, vel comedit?

Resp. I. Multi docent non violari potu etiam vini, modò non in ea quantitate bibatur, quæ censeatur esse in fraudem jejunii; quia id permittit consuetudo à tempore immemoriali; nam cum potus ordinetur potius ad distributionem cibi per corpus, & refrigerium sanguinis, quam ad alendum; ideo Ecclesia ejus usum non vetuit. Idem dicunt de electuariis quibusdam, quæ parum nutriunt, v. g. Thæo. Sed alii id negant, aut non concedunt, nisi de potu necessario ad sitim sedandam, qui nihil, aut parum nutriat, & de electuariis, quæ in parcissima quantitate, & cum necessitate sumuntur, ita ut sint loco medicinæ. Circa hoc sic habet St. Thom. 2. 2. q. 147. a. 6. ad 2. *Jejunium Ecclesiæ non solvitur nisi per ea, quæ Ecclesiæ interdiceret intendit instituendo jejunium. Non autem*